Purchased from the Jane Oakley Fund
THE NEWBERRY LIBRARY

5e planches

Case
+V
7
.85

96


IPSA VIVITVR
RATIONE PERFECTIVS
IOHANNES STRADANVS FLANDER BRVG. PICTOR.
SOLA MA=
NET VIRTVS
LABVNTVR
CAETERA
QVAEQVE
DIVITIAE,
VIRES,
FAMA,
IVVENTA,
DECVS.
NON FAL LITVR
QVID NON SVPERAT
Aſsiduitate nihil non adſequitur.

ENCOMIVM MVSICES

Quod ex ſacris litteris concinnabat Philip. Gallæus Iconibus exprimebat pictor celeberrimus Io. Stradanus. Verſibus illuſtrabat doctiſſimus Io. Bochius, urbi Antverp. à Secretis.



Laudate eum in ſono tubæ, laudate eum in psalterio & cithara. Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum. Pſal. 150.

AMPLISSIMIS ORNATISSIMISQVE D.D. EDVARDO VANDER DILFT ET CAROLO MALINEO CIVITATIS ANTVERPIAE CONSVLIBVS PHILPPVS GALLAEVS D.D.



3 *Quid, mortalis, eras, et ubi, quum maxima terræ*
Fundamenta Deus poſui? coecumque reſoluit
Materies quam prima Chaos; cum machina formis
Eſt diſtincta suis? quum laudibus omnia noſtris
Sidera, cœlicolumq; chorus miratus inhæsit,
Iubilaq; aligeri cecinerunt læta miniſtri? Iob cap. 38.



Nunc, ait, Iſacidæ, magni Germana prophetæ,
4 Deposito gaudete iugo, date tympana matres
Et mecum Pharij letum celebrate tyranni:
Ferte lyras aliæ, pars cymbala cantibus æquet,
Innocuumq; vadum pelagi, cedentibus vndis,
Siſtra Dei laudes peragant Mareotica noſtri. Exod. 15.



5 *Obuia fit vatum descendens turba Sauli*
Fatidicis lymphata modis: grex tympana pulſat;
Pſallitur et citharis, biforem dat tibia cantum:
Vt ſtetit, audiuitq; viros, agitat͡ eodem
Numine, diuiniſq; Saul præcordia plenus
Vocibus, in magnis numeratur et ipse prophetis. 1. Reg. 10.



6 Dira Saul patitur furijs vexatus, at vna
Regius exorto puer est medicina dolori:

Ille ubi ſe citharæ Musæq; accinxit, et imam
Imperioſa ſono tetigerunt carmina mentem,

Ocyus Eumenidum ſiluit furor, et sua motu
Horrida pacato tormenta remiſit Erinnys. 1. Reg. cap. 16.



7 Tuta Philiſtæi secta ceruice tyranni
Ora fuit, iuuenis Solymorum regius urbem
Victor adit, reduciq; canunt epinicia matres;
Effuſæq; vias complent, hæc tympana pulſat,
Illa chelym; vox unanimis, puer unus in uno
Hoſte, decem valida proſtrauit millia dextra. 1 Reg. 18.



Hoc vates habitu deducit regius arcam
8 Fœderis, exercetq; choros præsultor, et urbem
In patriam ſacris veneratus ſedibus infert.
Pompa fremit lituis, clangoribus aëra complet
Buccina, fatidicos vatum dant organa cantus,
Sacrificosq; triplex conſpergit victima cultros. 2. Reg. cap. 6.



9 Rex procerum magna Solomon comitante caterua,
Gentis Idumeæ, ſolennes ordine pompas
Exequitur: dat thura focis, fidibusq; tubisq;
Perſonat, et crotalis inſtat pia turba canoris;
Abramidûmq; alij myſteria fœderis arcam
Sancta ferunt, connixi humeris, adytisq; reponunt. 2. Paralip. 5



10 Regibus aſsiſtit tribus, et pſalteria coram
Poscit Eliſæus: mens enthea numine vatem

Occupat, euentus reſerantem arcana futuri:
Non, ait, Æolijs tellus perflabitur auris,

Nec pluuijs ſpargetur humus, ſed protinus undam
Terra dabit, factæq; ſitis ſolatia foſsæ. 4 Reg. 3



11 Captiuos rex Asa boues, promiſſaq; reddit
Vota Deo, cumulatq; ſuis altaria donis,
Et gregibus pecudum, et ſpolijs hoſtilibus ornat.
At Litius gens Abramidum reſonantibus adſtat
Votiuis operata sacris, iurataq; summo
Sacramenta tubis Domino ſolennia firmat. 2. Paralip. 15.



17\. *Isacidûm populo rex designatur Ioas*
Septennis puer, et regali cingitur auro
Tempora, complentur ſtudio penetralia magno.
Tecta ſonant fremitu, miſcentur plauſibus hymni,
Concentumq; tubæ ſonitus ſtrepit inter eburnum,
Viuat, et innumeris, orant, rex imperet annis. 2. Paralip. 23



13 Gens moles operum, vaſtataq; mœnia condit
Rurſus, et exſtructas Solymorum dedicat arces.

Inflatæ ſonuêre tubæ, feſtiuaq; myſtæ
Cantica naſcentes circum teſtudine muros

Ingeminant, alij calamis, neruisque Lyrisque
Orgia ſolenni peragunt luſtralia ritu. 2. Eſdræ 12.



14 Cum ductore ſuo cecidit furor, una virago
Nominis Hebræi Syrio caput abſtulit hoſti:

Vndiq; conueniunt pueri, innuptæq; puellæ,
Victricemq; canunt viduam, pars nablia docto

Pollice, pars citharas ferit, et concentibus aptat,
Veraq; mutato teſtantur gaudia vultu. Iudith cap 15.



Tollite vana procul, ſocij, ſimulacra Deorum,
15 Dux antiſtes ait, ſuus ad ſacraria vero
Ritus, honorq; Deo redeat; noua cantica pubes
Ingeminet, palmis alij frondentibus aras
Ingreſſi plectriſq; colant; ea feſta quotannis,
Et facti memores victoria ſuggerat hymnos. I. Machab. 13.



16 Quo decet humanas natalem carmine mentes
Auctoremque diem noſtræ celebrare ſalutis?

Viſceribus Deus intactæ quum virginis infans
Prodijt, aligerûmque chorus cunabula circum

Adſtitit, et lætum cecinit Pæana, ſupremo
Laudis vota Deo, et pacem mortalibus almam. Luc. 2.



Excolit harmonicis diuinum Eccleſia cultum
Artibus, et varijs myſteria cantibus ornat.

Cornua multiplici vocum modulamine ſacris
Dulce ſonãt adytis, Tyrrheno concinit æri

Fiſtula, delectatq; animos diſcordia concors,
Muſaq; terrenas attollit ad æthera mentes.

17



18 *Salue turba ſenum ſolio venerata ſedentem*
Cœleſti Dominum, quorum ſymphonia tanto

Digna choro ſanctas peruaſit numinis aures,
O mihi ſi liceat vobiſcum tendere neruos

Conſpectu ſuperûm, præſenti barbitos agno
Vt mea, tergeminoq; canat præconia Regi. Apocalyp. 5. et 15.

FERDINANDO MEDICI S.R.E. CARDINALI
AMPLISSIMO.

Res geſtas aui tui, atq; parentis alij ſcriptione ſunt perſecuti: ego verò res eaſdem pictura, vt tulit mei ingenij imbecillitas, expreſſi. Fuit id totum pro merito tantorum virorum exiguum omnino; ſed tamen eo animo factum eſſe, vt ſi quid in meo opere ab artificio laborat, ſedulitate tamen, et mira quadam in te pietate ſubleuetur. Has res Philippus Galleus meo nomine Antuerpiæ incidit; vir mirus profecto, atque eiuſmodi, cui nobiliſſimæ huius artis ſtudioſi magnum debeant beneficium. Sed quod mihi vitæ iam reliquum eſt, id totum ſtatui effingendis pijs cogitationibus traducere. Nunc verò res geſtas Nri Saluatoris, Ieſu Chriſti, quæ paulò ante, quam in crucem tolleretur, factæ ſunt, qua facultate potui expreſſi, atque eaſdem curaui incidendas. Has igitur ſi tuo nomini dicarem, pergratum tibi me eſſe facturum iudicaui. Quod vt fiat, non meum ingenium, quod nullum eſt, ſed tuam animi regij propenſionem in hoc ſtudium ad te præcipuè allegabo. Vale.

Ioannes Stradius


SPQR
PASSIO, MORS, ET
RESVRRECTIO DN. NOSTRI
IESV CHRISTI.
Iconibus artificioſiſſimis, à celeberrimo picto-
re Joanne Stradano Brugenſi Belga delineata.
& à
Philippo Gallæo, æneis formis, magna dili
gentia incisa.
Quia & Chriſtus paſſus
eſt pro nobis, vobis relinquens exem
plum vt ſequamini veſtigia eius. qui peccatum
non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. qui
cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur,
non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſte.
qui peccata noſtra ipse pertulit in corpore ſuo ſuper
lignum: vt peccatis mortui iuſtitiæ viua
mus cuius liuore ſanati eſtis.
In hoc eſt charitas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipse dilexit nos, & miſit filium ſuũ propitiationem pro peccatis noſtris



1. Non humiles potuere preces auertere Matrum
Æterni decreta Patris. Stat mente repoſtum

Concilianda ſui foret vt patris ira ſupremi,
Damnatum redimat quò fuſo ſanguine Mundum.



Vltima bis ſenis præbens conuiuia CHRISTVS
Diſcipulis, inquit, porrectum ſumite panem,

Atque edite: hoc eſt namq; meum venerabile corpus
Hic ſanguis, vaſti redimet qui crimina mundi.



3 Diſcipulis Dominus, quæ tanta potentia amoris,
Crura lauat, ſeruitque ſuis ſub imagine ſerua

Qui cælum terramq; regit, qui ſydera nutu
Torquet, et elatas compellit ad infima mentes.



Primus homo perijt liuore Draconis in horto,
Et temere proprijs donis miſer excidit ipse.

Verus amore Deus, membris homo purus, in horto
Incipit hoc propria peccatum morte piare.



5 Suſtinuitq; capi ſub amici federe falsi,
Sternere quem nutu potuit, vel perdere verbo.

Oscula qui falsa dederat ſub imagine Pacis,
Proditor heu CHRISTVM Iudas in vincula tradit



6

Eſt animi exigui, atq; infirmi parua voluptas
Vltio, conueniens nec enim vindicta Tonanti

Vlla fuit, non liquit opem, famuloq; reuulſam
Reddidit enſe Petri cunctis ſpectantibus aurem.



7 *Vt mox Pontificem trahitur captiuus ad Annam,*
Diſcipuli paſſim CHRISTO *fugere relicto*

Ille ma dens vino verbis prorumpit in iram,
Aulicus & miles cæleſtia percutit ora.



8 Siſtitur ad Caiphæ CHRISTVS ſublime tribunal,
Dicere cui verum per numina ſacra coegit.

Ipse reuerſurum cæli ſub nubibus inquit
Angelicos inter cætus ſe, et numina Diuûm.



9 *Traditur hinc* CHRISTVS *lictoribus atq; miniſtris,*
Dilanianda lupis velut agna rapacibus, ohe

Lumina ſpurcantur, facies ſacra verbere liuet,
Inq; pium volitant mendacia plurima CHRISTVM.



10 Iudice Pontificum necis eſt reus ipse Senatu
Damnatus CHRISTVS, quod ſeditione nephanda
Verſatus, traxit miſerum in ſua iura popellum
Et Regem faſſus proprio damnauerit ore.



11

Insontem parua eſt effundere culpa cruorem,
Sed Gentile gradu limen contingere ſacro

Non licet ob feſtum, Deducitur ante tribunal
Præſidis, a longe Phariſea ſtante cohorte.



12 Hunc prius exceptum Pilatus talibus inſit,
Auſus es expreſſa Regem te voce fateri?

Sponte tua hoc dicis, alio aut tibi forte relatum?
Reſpondit CHRISTVS, miranda ſilentia ſeruans.



13 Hinc ſubito Herodi CHRISTVM transmittit Apellæ, Sceptra Galilææ, piscoſi ad ſtagna fluenti
Regia palmiferæ qui tum Tetrarcha tenebat Gennezaret, Regis præter ſpem factus amicus



14. *Non tamen hoc ſpeculum cōmouit amabile Regem,*
Optantem e ſummo miracula cernere cælo.

Sed miranda Deus cum Rege ſilentia ſeruans,
Purpurea induitur per ſumma opprobria veſte.



15 Deinde inhonoratus despecta veſte iubetur
Iniuſtum CHRISTVS conſcendere, vt ante tribunal.

Præsidis at Coniunx, ludentis imagine ſomni
Pellecta, a Iuſti deſiſtere ſanguine iuſſit.



16

Terga tamen grauibus flagris, et verbere cædi
Innumero diuina iubet (proh crimina) Iudex.

Ipse verecundo tulit hæc opprobria vultu
CHRISTVS, *vt æterno placabilis hoſtia Patri.*



17

Huic diadema datur criſpata cuſpide rhamus,
Eliciturq; ruber pungenti ſanguis acantho.

Ponitur in dextra ſceptri vice grandis arundo,
Et CHRISTVM Regem, falſo precis ore ſalutant.



18 *Hæc vbi patrantur proprijs ex ædibus exit*
Ad populum Iudex, quo pacto ſoluat IESVM
Anxius, iſque foras laniato corpore prodit
Cœlorum, terræq; ſator, Mundiq; redemptor.



19 *Ducitur ecce foras Tyrio circundatus oſtro*
CHRISTVS *habens ſeptos infeſta cuſpide crines:*

Atq; hunc vt populo monſtrat Pilatus, ô inquit
En Solymi ciues hominis miſereſcite veſtri.



20. Gens Iudæa nihil factis commota nephandi
Iudicis, in lignum ſuſpendi corpus IESV

Poſtulat: ille tacens illatas pertulit iras.
Secretis ſeruans arcana ſilentia rebus.



21 *Horruit at Iudex, et crimen fluminis vnda*
Abluit, atque necis decretum flebile profert.

Damnatumque pium ligno ſuspendit amaro,
Suppliciumq; crucis Iuſtum ſufferre coegit.



22

Veſtibus induitur proprÿs, et milite multo
Per medios Vrbis vicos ſtipatus, aperte

Ridetur; populo eſt paſſim iocus vnica proles
Numinis excelſi, Mundi ſator atq; redemptor.



23 Talia perpeſſus CHRISTVS ludibria, pergit
Cæſariem ſeptus diuinam vepre minaci

Ad loca ſupplicij, Iudæis Golgotha dicta,
Dum moles oneroſa crucis pia membra fatigat



24 Sed ne deficeret gradiens ſub mole trabali,
Curauere cruci vt Simon ſupponeret armos

Cyrenus, dum mœſta cohors, dum turba gementum,
Matres atq; nurus CHRISTVM comitantur euntem.



25 Poſt hæc ſupplicij ad mœſtæ loca venit grenæ,
Oſſa vbi truncorum ſparſim candere per herbas

Spectantur, felli miles cui pocula mixta
Præbuit, et tractu furioſo nudat IESVM.

9



26. *Poſt ſcelerum ſerui manibus tractare cruentis*
Virgineos audent artus, conſortia pœnæ

Coguntur hinc inde duo perferre latrones.
Dum rigat omne ſolum CHRISTI *ſacra vnda cruoris.*



27

Hinc cruce confixis Seruator in aera palmis
A Patre flens veniam petijt pro ſontibus ipſis,

Qui ſua carnifici laniarant viſcera voto
Contextam miles tunicam dum ſorte tenebat.



28 'En ſubito fugit ex oculis, furuisq; tenebris
Induitur, trepidumq; diem Sol nocte recondit.

Cum Deus ætheris animam commiſcuit auris,
Et miles ferro CHRISTI latus haurit acuto.



29

Tendit ad excelsas Nicodemus Præſidis ædes
Qui Dominum ſectatus erat pendentis IESV

Vt corpus donare velit. cui protinus ipſe
Conceſſit, miti triſtis pro munere Iudex



30 *Hic ſubito quærens ſcalas, et congrua voto*
Inſtrumenta ſuo, Caluarum venit ad oras.

Virgo parens dum meſta ſuum deplorat IESVM
In cruce pendentem per ſumma opprobria natum.



31 Vt cruce deponunt venerabile corpus IESV
CHRISTI, quem veterum cecinere oracula vatum.

Unguento fragrante fouent, ſacrataq; paſſim
Humectant lachrymis rorantibus ora genaſq;.



30 *Hic ſubito quærens ſcalas, et congrua voto*
Inſtrumenta ſuo, Caluarum venit ad oras.

Virgo parens dum meſta ſuum deplorat IESVM
In cruce pendentem per ſumma opprobria natum.



31 *Vt cruce deponunt venerabile corpus* IESV
CHRISTI, *quem veterum cecinere oracula vatum.*

Unguento fragrante fouent, ſacrataq; paſsim
Humectant lachrymis rorantibus ora genaſq;.



32 Et lino pia membra tegunt, lachrymisq; rigantes,
Eripiunt læſo peracutos vertice ſentes.

Membra Dei matris fletu maduere tepenti,
Dum natum extenſis moribunda amplectitur vlnis.



33 Hinc Dominum tollunt, rigido conduntq; ſepulchro
In ſcrobe ſaxoſa, grandem tumuliq; meatum

Occludunt ſilice ingenti, dum cætera turba
Inſequitur planctu, obſequium quo reddat IESV.



34. *Vtq; recedenti Veſper ſuccedere Soli*
Cæperat, et terras Nox intempeſta tenere

Qui fuerant Dominum, paſſum tanta, vſq; ſequuti,
Quiſq; ſuos tandem flendo rediere penates.



35

Interea ſtimulante metu generatio fallax
Concepit ſub corde nefas, quod nocte ſilenti
Diſcipuli CHRISTVM *raperent, et abeſſe referrent,*
Vnde locum poſcunt vigili obſidione teneri.



36 *Ipſe ſed vt* CHRISTVS *Phlegethontis regna ſubiit,*
Cardinibus ſonitu poſtes crepuere ſolutis.

Gaudenteſq; animas ſanctas maneſq; piorum
Reſtituit ſummo Vitæ reparator Olympo.



37 *Tertius vt cælo poſt triſtia ſabbata cœpit*
Irradiare dies, redijt rediuiuus in oras

Proſtrata VICTOR *ſolenni morte triumpho.*
Immeritaq; Patrem placauit Victima cæde

Stradanus
Ecomium Musices. Antwerp, about 1560.

Bible scenes in which a variety of musical instruments are being played. This is from Exodus 15:20 "Miriam...took a timbrel in her hand; and all the women went out after her with timbrels and with dances."